

Vitæ humanæ
fugacitas in
sepultura viri dum
viveret plurimum
reverendi et d...

Wallenius, Johannes
Josephi

1700-1829 81 Cbza Fo1. 1708
Wallenius



National Library
of Sweden



294 140

VITÆ HUMANÆ
FUGACITAS

IN SEPULTURA

VIRI

DUM VIVERET

PLURIMUM REVERENDI ET DOCTISSIMI

**DN. JOSEPHI
WALLENII,**

SENIORIS

Pastoris in Wesilax emeriti & longè
Defideratissimi

Præpositique Ecclesiarum adjacentium
Gravissimi

ANNO 1708 DIE

GEMEBUNDO ANIMO STYLO LICET HISPIDIORE

à

FILIIS

ADUMBRATA.



172
Tristis erat servus Divini vatis
Eliæ,
Suscepto Domino, in regna
beata, suo;

Non quod is invideat coelestis gaudia vitæ,
Sed doceat, quantam turba tenella Dei
Jacturam tanti patiatur morte magistri,

Qui tulit exiguo, maxima dona, gregi.
Nec mirum, nostri mæstâ si voce parentis
Discessum, clari magnificique senis
Plangamus; Fides nam puro dogmate corda
Saxea perpoliit dexteritate sacrâ.

Sex annos & lustra decem, veniente senectâ
Tarda etiam incepti grande laboris onus
Sustinuit, læto pervolvens pectore semper
Scripturas, unde ei pharmaca grata fluunt.
Non famam verbis, non corpus vulnere læsit
Ullius, rixæ semina nulla serens.

In tota pietas præluxit candida vitâ,
Ad superas, donec se tulit hora, domos.
Hæc sunt quæ nostris solatia mentibus addant,
Orbati claro qui gravitate patre.

Ad coelos oculos lacrymis manantibus ægros
Tollimus, ut sanet faucia corda manu
Forti, propensas inclinans vocibus aures,
Afflictis animis spesque, salusque, Deus.

Concedat verbi sanos fidosque ministros,
Qui satient rabidam, mellifluo ore, famem.
In telis adsit victoria magna cruentis,
Sæviat in nostras, nulla farisfa, casas.

41

Armis quærat^r pax aurea, foeda tyrannis
Sit procul, & nunquam destituamur ope
Divina, donec candelcant tempora canis
Promissis, calidus spiritus & vigeat!

JOSEPH i. e. augeat

Auxit qui vitam vitæ Dux unicus ille,
In terris placidam Vir REVERENDE, tuam,
Et perchare parens, itidem tua gaudia multis,
Augeat in coelis, sanctificata modis.

Et sic:

WALLENIVS valli valedicens, ecce doloris,
Æthereæ sedis culmina læta tenet !!!

Hæc pauca in memoriam Patris sui Charissimi,
& piis omnibus longè desideratissimi,
mæstissimâ appoluit crenâ, non sine
maximo cordolio.

JOHANNES WALLENIVS.
V. D. M. in Achaas.

Purima nobis esse ferenda mala, incommoda & infortu-
nia, dum hisce corporeis adstringimur vinculis, testa-
tur Romanæ eloquentiæ parens Cicero in libello de
senectute, inquit: *Dum sumus, in his inclusi compagibus
corporis, munere quodam necessitatis & gravi opere perfungimur. Quæ
verba nitidissimo veritatis coruscant fulgore; multa enim scomma-
ta, mendacia, obtrectiones, opprobria, sannæ delatorum & ma-
levolorum insidiæ, præterea ærumnæ, angustæ, periculosique
belligeri Martis tumultus, ludibria, exilia & cetera innumera ca-
lamitatum genera, in hoc vastissimo & profundissimo adversita-
rum Oceano, hominem offendunt, circumstant, consequuntur;
Quamobrem si miseriam ejus bene consideres, longe melius cum
illis actum adfirmaveris, qui fato defuncti tot molestiis & labori-
bus erepti sunt, quam cum iis qui diutius in perpetuo timore &
tremore vitam ac spiritum trahunt, & infinitis periculorum terri-
culamentis torquentur. Harum & aliarum gravissimarum tentatio-
num fluctus cum felicissimè morte beata evaserit scopulosq; omnes
prætervectus sit Pater meus desideratissimus, tanto majorem mihi
injecit mœrorem & tristitiam, quanto minores, illo adhuc vivo,
in artibus liberalibus fecerim progressus. O lachrymabile fatum!
ah ejulate mecum, quos aliqua tantæ cladis cura vel leviter tangit.
Justus perit, & non est, qui attendat in corde suo, Viri misericordiæ colliguntur,*

guntur, & non est qui intelligat. Dulcissimum tamen hoc mihi sup-
 peditat solatium, quod non solum adeo piam, sinceram &
 omnibus bonis imitandam in hac fragilitate ab ipso exortu ad
 luridum usque tumulum, duxerit vitam, ut eum à celestis
 vitæ hereditate inæstimabili & sanctorum omnium confortio non
 excludendum certissimè statuamus, verum etiam liberos edu-
 cãrit plurimos, ad honorifica munia capessenda idoneos, qui
 in ulteriori mei cura habenda, & fortuna promovenda omnem
 omninò impendere non detrectabunt operam; Noverat enim
 optime Pater optimus, quo liberis non tantum sit impendenda
 cura, ut sint, sed ut bene sint, ac optimis disciplinis imbuantur,
 stolidorum parentum vestigiis non insistens, qui liberis prospi-
 ciunt de pecunia, non Doctrina, colligentes aurum, negligentes
 animum. Sed neque hoc prætermittendum silentio, quod fra-
 trem unum ex reliquis Divina gratia, & auxilio eorum quorum
 interest, benignè suffultum, in successionem parentis, Regiis
 literis clementissimè videam destinatum, secundum illud Siraci-
 dis Cap. 30: 4. 5. 6. 7. *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mor-
 tuus, similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & le-
 tatus est in illo: In obitu suo non est contristatus, nec confu-
 sus est coram inimicis: Reliquit enim defensorem domus con-
 tra inimicos & amicis reddentem gratiam. Pro animabus filio-
 rum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur
 viscera ejus.* DEUS itaque nobis fideliter erit invocandus, ut
 animum nostrum calu tanti parentis summopere laceratum,
 afflictum & percussum, sanctissima sua sanet dextrâ, & conce-
 dat nobis sic custodire, regere & finire vitam nostram, ut
 stadio ritè emento, brabeum de manu Domini accipiamus,
 in pace dormiamus & in summâ constantiâ ante faciem DEI
 tandem appareamus!

*Sic obitum Patris sui Charissimi maxima
 prosequitur lamentatione filius na-
 ta minimus*

IVARUS JOSEPHI WALLENIUS.

